

absentibus Ministris Provincialibus Commissarii morientur, Provinciae regimen ad digniorem ipsius Patrem, cum eadem auctoritate, usque ad Provincialis regressum deferatur.

*De Custodibus.*

Decrevit Capitulum Generale, ut Custodes in solo Definitorio extra Capitulum electi, Custodum qui officium absolvent, privilegio minime gaudeant, nisi per duos annos integros functi fuerint Custodiatu officio, vel ad Capitulum, seu Congregationem Generalem suffragari accesserint, quamvis biennium non sit completum. Sive autem Custodes in Capitulo Provinciali eorum esset officium, & alii de novo eligantur. Ille tamen qui duos annos non complevit, reeligi poterit ad idem officium.

*De Secretariis Curiae Romanae.*

Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. considerato labore, ac ingenti fatigatione, quam Secretarii, Procuratores, & Commissarii Generales in Romana Curia subeunt, quatenus eos in suorum officiorum administratione coadjuvant, literis in forma Brevis expeditis decrevit, ut praedicti Secretarii, postquam officium per triennium expleverint, in suis Provinciis immunitatibus, & privilegiis gaudeant eorum, qui ibi Definitores extiterunt, sed semper post eos, qui per electionem Definitores fuerunt, vel postea existant.

*De Privilegiis, & Privilegiatis.*

Creverat adeo in Religione nostra privilegiorum numerus, & tam frequenti abusu immunitates, & privilegia laborantibus in praemium destinata ignavis forsitan, & ambitiosis gratuito, & sponte donabantur, ut propterea SS. D. N. Urbanus VIII. motu proprio omnia privilegia personalia ex gratia, & favore per quemcumque concessa abstulerit, sublata facultate alia de novo concedendi; iis tamen exceptis, quae in justum laboris praemium, & virtutis incitamentum Constitutionibus nostris, & statutis sunt, vel postmodum stabilientur. Exemptis hinc etiam Regum, & Imperatorum Praedicatoribus, & Confessoribus, quos ab hac Regula Sanctissimus exclusit.

**PRO ULTRAMONTANA FAMILIA.**

*De Patribus Provinciae.*

Provinciarum Patres a Gregorio XV. quoad jus suffragandi in Capitulis, & Definitoriis in toto Ordine extinctos, Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. in tota Ultramontana Familia iterum suscitandos judicavit non tamen omnes, ne Provinciae tot iudiciis oneratae preme-

rentur, sed aliquos, qui rerum Religionis experti in Capitulis, Congregationibus, & Definitoriis existentes, auctoritate sua, & consilio alios in officio novos erudiant, & compefcent. Quapropter motu proprio decrevit, ut in unaquaque Provincia Ultramontanae Familiae duo essent Provinciae Patres, unus qui foret perpetuus, is videlicet, qui in Provincia dignior esset, hoc est primum inter Provinciae Patres locum vendicaret. Quod si Pater iste alio titulo sit de corpore Definitorii, pro illo tempore assumatur alius in dignitate propinquior. Idem etiam subrogationis ordo servetur, cum per mortem vacare contigerit.

Alter Provinciae Pater juxta praedictam Constitutionem Apostolicam ille est, qui immediate Provincialatum absolvit. Per triennium tantummodo durabit hujusmodi Pater, quo finito, succedet Provincialis, qui post ipsum subsequetur, officio absoluto. Quod si ante triennium deesse contingat, alius assumatur, qui immediatus Provincialis extiterat.

Praecipit vero Sanctissimus Ministris Generalibus, & aliis, ad quos praedictae Constitutionis Apostolicae executio spectat, ut sub gravissimis poenis, & nullitate electionis illam observent, & inviolabiliter observari procurent.

*De Commissario Generali Terrae Sanctae in Curia Regis Catholici residente.*

Declarat Capitulum Generale Commissarium Generalem Terrae Sanctae, qui residet in Curia Regis Catholici non esse Praelatum; proindeque non solum Ministro Generali, sed etiam Commissario Generali Familiae subditum esse, ac in omnibus, & per omnia subiectum. Ipsius autem socii quoad regularem disciplinam Provinciali Ministro, & Guardiano Conventus subiaci debent.

Praedictus vero Commissarius singulis sex mensibus rationes reddere teneatur sub poena privationis, quae ipsi Segobienibus statutis imponitur.

*De Magistris Novitiorum.*

Abrogatur statutum ultimi Capituli Toletani, in quo Magistris Novitiorum concedebatur, ut qui per octo annos in Conventibus principalioribus munus illud exercuissent, Lectorum Jubilatorum privilegio quoad praecedentiam dumtaxat fruerebantur. & decernit Capitulum Generale, ut Statutorum Segobienfium observetur.

*De Lectoribus.*

Censuit Generale Capitulum Theologiae Lectoribus nullum unquam jus quaesitum, aut actionem ad continuandum legendi officium, quousque tempus jubilationis praescriptum compleverint. Et ideo statuit

statuit posse a Ministris Provincialibus amoveri de consensu Definitorii, & aliis muneribus, prout necessarium videbitur destinari. Eodem namque jure Lectores primo instituire, & cum libeat amovere ad Ministrum Provinciale, & Definitorium pertinet.

*De Praecedentia.*

Quoniam variatis in Ordine nostro aliis statutis, & Constitutionibus Apostolicis, non parva circa praecedentiam, exorta est confusio, & abusus aliqui pullularunt; quapropter visum est graduum, & praecedentiae Ordinem hunc in modum dirigere, quem ab omnibus in Ultramontana familia inviolabiliter observandum statuimus.

Primo igitur inter Praelatos actuales habeat primum locum Minister Generalis: Postea Commissarius Generalis Familiae: Deinde Commissarius Visitator Provinciae, & Minister Provinciae, & tandem Guardianus loci.

Post Praelatos autem sedent, qui Ministri Generales, deinde qui Vicarii Generales per biennium fuerunt, post quos sequuntur qui Commissarii Generales fuerunt, secundum Bullam unionis electi: Deinde qui Vice-Commissarii Generales biennio extiterunt.

Postea sequentem locum habeat Commissarius Generalis Indiarum in Curia Regis Catholici residens.

Deinde Procurator, & Commissarius Romanae Curiae, dum actu suis muneribus funguntur: Post quos sequetur Procurator Reformatorem Cismontanae Familiae.

Postea Definitores Generales dum in suis officiis actualiter persistunt.

Deinde Procuratores, & Commissarii Curiae Romanae officiis functi (etiam si Ministri Provinciales alias non fuissent) qui intra suam Provinciam, & extra omnes alios praecedent, licet Ministri Provinciales, aut Definitores generales extiterint.

Post praedictos sequuntur qui Ministri Provinciales fuerunt in suis Provinciis.

Deinde qui Definitores Generales extiterunt, qui si Ministri Provinciales antea fuerunt, alios qui eodem munere functi sunt, praecedent: sin minus illos dumtaxat, qui postquam ipsi Definitoriatus officium expleverunt, ad Ministeriatum sunt promoti.

Postea vero ii, qui triennio Secretarii Ordinis fuerunt, videlicet Ministri, aut Vicarii, aut Commissarii, aut Vicecommissarii Generalis, secundum Bullam unionis electi.

Deinde, qui Commissarii Generales fuerunt in Regno Peruano, & in nova Hispania, & in India Orientali per triennium: dummodo in ejusdem muneribus obeundis laudabiliter se gesserint.

Deinde, qui in propriis Provinciis Vicarii Provinciales per biennium completum extiterunt.

Postea sedebunt, qui Ministri Provin-

ciales in aliena Provincia fuerunt intra Hispaniae Provincias.

Post quos sequuntur actuales Praedicatoris Regis Catholici.

Deinde, qui pro Definitoriis Generalibus in Capitulo Generali substituti sunt.

Postea sequuntur, qui per duodecim annos in Curia Regis Catholici Commissarii Generales fuerunt Terrae Sanctae.

Postea, qui per duodecim annos Hispani Vice-Commissarii Generales Indiarum, extiterunt.

Deinde Definitores, & Custodias actuales Provinciae.

Postea, qui in eadem Provincia Definitores, & Custodes fuerunt: quo gradu solum gaudent Custodes, qui in Capitulo electi sunt, vel si extra, per solum Definitorium, per biennium completum in officio duraverunt; vel si in Capitulo Generali tulerunt suffragium, licet biennium non compleverint.

Deinde, qui per biennium Secretarii fuerunt Procuratoris, aut Commissarii Curiae Romanae.

Postea Secretarii Commissarii Generalis Indiarum, qui residet in Curia Regis Catholici, dummodo per sexennium laudabiliter officium illud exercuerint.

Deinde, qui per octo annos Commissarii Generales Terrae Sanctae in Curia Regis Catholici extiterunt; Et illi postea, qui etiam per octo annos Hispani Vice-Commissarii Indiarum fuerunt.

Deinde Lectores Jubilati, juxta Ordinis Statuta.

Postea sedebit Procurator, seu Commissarius Curiae Regis Catholici.

Deinde Commissarius Generalis Terrae Sanctae, dum actu exercet officium in Curia Regis Catholici.

Postea immediate sedebit Vice-Commissarius actualis Indiarum, qui Hispani residet.

Deinde sedebit primus Lector S. Theologiae.

De aliis vero Lectoribus, & Praedicatoribus, ceterisque Officialibus, & Religiosis circa praecedentiam serventur Statuta Segobienfina, exceptis, quae huic dispositioni contraveniunt.

*Pro Indianis.*

Quoniam decretum illud ultimi Capituli Toletani, quo concedebatur Ministris Provincialibus Indiarum, ut mittere possent Commissarios ad Capitulum Generale, nullum erat, utpote contrarium alteri Statuto edito in Capitulo Generali Romano ad annum 1625. tenoris sequentis. Caveant ex Indianis Provinciis Ministri Provinciales, ne ad Capitulum Generale, vel aut ipsi veniant, vel Commissarios suo nomine mittant, solis Custodibus veniendi facultate concessa. Quod statutum a Sede Apostolica in forma speciali, ac ex certa scientia cum illius praesertione fuit confirmatum. Atque adeo non nisi ab eadem

dem Sede Apostolica potuit revocari. Quapropter cum in hoc Capitulo Generali sancitum fuerit, restituendum esse Ministris Provincialibus jus antiquum, quod habebant, ut Commissarios ad Capitulum Generale suo nomine suffragaturos mitterent, ad Sedem Apostolicam recursum est, quatenus non obstante prædicto Statuto Romano, facultatem mittendi Commissarios Indianis Provincialibus indulgeret, prout clausulis sequentibus Sanctissimus Dominus Noster Urbanus Octavus indulset.

Ministris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, ea tamen lege, ut tam Commissarii, qui mittentur, quam etiam Custodes, filii earum Provinciarum respectivè sint, pro quibus mittuntur, vel in eis per sexennium completum antea incorporati (sive in aliis Europæ partibus existant) dummodo ad electionis effectum non incorporentur (aliter electio sit nulla ipso facto) ac ut tam Commissarii, quam Custodes prædicti a suis Provinceis non aliter, quam juxta Constitutiones Generales Segobienfes eligantur. Quod si Commissarii, & Custodes hujusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini, etiam tamquam Procuratori absentis, vel præsentis committere possint: ac idem in aliis etiam Pælatibus, & Vocalibus, juxta laudabilem dicti Ordinis consuetudinem a Sede Apostolica approbatam, servetur.

Et insuper pro commodiori præmissorum executione Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ VIII. que incipit: *His, que ad regularium personarum statum*, die 4. Martii 1600. Pontificatus sui Anno IX. editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, præsertim in Limeni Provincia, ad Ministratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quam illi, qui ejusdem Provincie Alumni sunt, vel ad eam expresse, ac nominatim missi ex Hispaniis, cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerunt, omnino admittimus, & præcipimus observandum esse.

Declarantes sub illis verbis, seu quodlibet aliud dignitatis officium, in dicta Clementis VIII. Constitutione expressis, Ministris Provincialis, tam pro regenda Provincia, quam pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati, Vicarii Provincialis, Custodis, Definitorum, Guardianorum Conventuum, & Vicariorum officia comprehendere, & comprehensa intelligi.

Quocirca Commissariis Generalibus nunc, & pro tempore existentibus in Indiis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub

excommunicationis læte sententiæ, privationisque suorum officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter servent, & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet, servari curent. Alioquin si eos in hac parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant: injungentes, & districte præcipientes Ministris Generalibus, & aliis pro tempore existentibus Ministris Generalibus, ut citra convenientiam quamcumque, pœnas prædictas contra transgressores debite executioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias.

Declarat insuper Capitulum Generale, ut nullus ex Sociis, quos secum deferunt Commissarii Generales Indiarum, nec etiam alii Religiosi, ad Provincialis, Custodis, Definitoris, & Guardiani officium assumi valeant, nisi postquam sexennium ab incorporatione fuerit transactum, aliter electionem ipso facto irritam esse determinat. Quod si Commissarii Generales Indiarum in hac parte deliquerint, idem Capitulum Generale decernit, ut ipso facto pœnas a Sanctissimo Domino Nostro Urbano VIII. in Brevis supra posito adversus transgressores impositas incurrant, inane, irritumque dijudicans, si quid in contrarium per quosvis Ordinis Superiores fuit, vel postmodum fuerit statutum.

*De Auctoritate Commissarii Generalis Peruenfis.*

Determinat Capitulum Generale, ut prædictus Commissarius de Peru in omnibus electionibus suarum Provinciarum, votum habeat, & auctoritatem suam cui libet alteri subdelegare possit; attamen subdelegatus non habebit in electionibus votum, sicuti Commissarius habet. Et idem statuitur de Commissario novæ Hispaniæ.

*De Vice-Commissario Indiarum Hispani residente.*

Vice-Commissarius Indiarum ex decreto Capituli Generalis, dum actu exercet officium, sedeat immediate post Lectores jubilos. Et qui per octo annos completos idem officium continuaverit, eorum privilegio gaudeat, qui fuerunt Definitores: Si autem per duodecim annos in Vice-Commissariatu steterit, præcedentiam, & Paternitatem habeat dumtaxat, quam Patres Provincie fruuntur: dummodo sedeat post omnes, qui Ministri, seu Vicarii Provinciales fuerunt, vel postea existant.

*De Secretario Commissarii Generalis Indiarum.*

Secretarius Commissarii Generalis Indiarum, qui residet in Curia Regis Catholici, ex concessione SS. D. N. Urbani VIII. postquam per sexennium in eo munere recte, & laudabiliter se gesserit, in sua quisque Provincia dumtaxat privilegiis, & exemptionibus gaudeat, quibus uti, & gaudere solent ii, qui fuerunt Definitores. Illum tamen omnes præcedent, qui vel jam Definitores extiterunt, vel postea extiterint.

Reliqua negotia, quæ pro Indianis tractanda supersunt, Capitulum Generale determinat, ut a Reverendissimo Patre Ministro Generali, una cum Indiarum Commissario Generali, & Patribus de Definitorio Generali apud Matritum existentibus tractentur, & resolvantur.

*Pro Canariis.*

Statuitur ne in Canariis priventur Guardiani voce activa, ante electionem factam, nisi delictum sit aliud publicum, & scandalosum.

*Pro Sardinia.*

Decrevit Capitulum Generale Provinciam Sardinie in duas fore dividendam, quarum una sub nomine S. Saturnini Martyris haberet Conventus, qui in Capite Calaritano continetur, & alia sub titulo S. Mariæ Gratiæ fieret ex Conventibus, qui sunt in Capite Saceris servato illi pristino nomine, una cum prioratis, & antiquitatis jure, prout Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. Motu proprio sancitum fuit.

*Pro Custodia Insularum de Acores.*

In Definitorio Generali, præside, assistenteque D. Cardinali Barberino Protectore nostro, decretum est, custodiam Insularum de Acores ab Algarbiorum Provincia, cui alias in regimine subiciebatur, separandam esse, prorsusque dividendam, ac in novam Provinciam erigendam, & de facto SS. D. N. Urbanus VIII. Motu proprio prædictam Custodiam divisit, ac dismembravit, & in novam Provinciam sub invocatione Sancti Joannis Evangelistæ crexit.

*Pro Cismontana Familia.*

Sanctissimus Dominus Noster Urbanus Octavus omnes Cismontanæ Familie Custodias Reformatorum, quæ viginti quinque numerum explent, in Provincias crexit, & unicuique præcedentiæ locum juxta ordinem infra scriptum assignavit.

Provincia S. Francisci.  
Provincia Romana.  
Provincia Marchiæ.  
Provincia Tusciæ.

Provincia Bononiæ.  
Provincia S. Antonii.  
Provincia Genuæ.  
Provincia Mediolani.  
Provincia Principatus.  
Provincia Septem Martyrum.  
Provincia Vallis Nemorum.  
Provincia Vallis Mazzari.  
Provincia Vallis Neti.  
Provincia S. Nicolai.  
Provincia S. Bernardini.  
Provincia S. Angeli.  
Provincia Minoris Poloniæ.  
Provincia Majoris Poloniæ.  
Provincia Corsicæ.  
Provincia Brixie.  
Provincia Basilicatæ.  
Provincia Terre-Laboris.  
Provincia Calabriæ.  
Provincia S. Didaci.

Provincia S. Thomæ Apostoli.  
Receptum est Breve S. D. N. Urbani VIII. circa Lectorum Jubilationem, cujus initium est: *cum sicut accepimus, &c.*

Nullus deinceps Prædicator, aut Lector instituat, nisi prius fidem suorum Lectorum exhibeat per Provinciale Ministerium authenticatam, & nisi ab eodem Ministro cum suo Definitorio fuerit antea examinatus, atque idoneus repertus.

Nec aliquis studens possit in futurum ad Sacræ Theologiæ studium transire, nisi Philosophiæ cursum antea perfecerit, & a Definitorio Provincie, quoad sufficientiam, & bonos mores fuerit approbatus. Cursum autem Philosophiæ declaramus esse trium annorum completorum. De quo studens tenebitur suorum Lectorum fidem per Provinciale, & Definitorium authenticatam præsentare.

Renovatur Statutum, quo præcipitur, nullum institui posse Prædicatorem, nisi prius cursum Theologicum trium annorum completorum perfecerit: neque Lectorem, nisi quatuor annis expletis studuerit.

Renovatur etiam Generale Statutum, prohibens, ne studentes Generales e Conventu possint egredi, nisi bis pro quolibet mense; sive Guardianus, aut alius Superior localis possit eis licentiam concedere, nisi pro gravissima causa a Discretis Conventus prius approbata.

Ministri, & Definitores Provinciales actuales, extra suam Provinciam præcedant eos, qui fuerunt Provinciales, & Definitores respectivè.

Lectores Artium, & Casuum conscientie eos Sacerdotes præcedant, qui trigessimum annum Religionis non compleverunt, inter sese juxta antiquitatem habitus sedeant, & incedant, nisi aliquis Theologiam alias legisset.

Laici transientes ad statum clericalem, non possint habere officia, & dignitates in Religione.

Duo fratres germani in Provincialatu, immediate sibi succedere, aut simul in Definitores duo ex eadem agnatione eligi.

eligi minime possint, ut aliis Statutum est.

Minister in eo Capitulo, in quo suum explet officium in Definitorum eligi non possit, sub poena nullitatis electionis.

Moriens aliquo Definitor extra limites Provinciae, vel absente, itaut infra tres dies ejus praesentia haberi non possit, subrogetur alter Pater dignior illius Provinciae, aliter electio nulla fit.

Ut induendis Fratribus opportune consulatur, Ministris districte praecipitur, ut officinas pro lanificio, & pannorum fabricatione introductas conservare procurent. Et ubi introductae non fuerint, intra unius anni spatium illas erigant, & introducant, sub poena privationis officii ipso facto incurrenda: Nec ex alio panno, quam ex fabricato in supradictis officinis indui Fratres possint, aliis indui inhabiles ad officia, & dignitates Provinciae indispensabiliter censentur.

Defunctorum spolia non nisi Conventibus, in quibus Fratres decedere contigerit, applicentur; sublata Ministris Provincialibus in hac parte facultate aliis dispensandi sub poena privationis officii.

Ut multis abusus, & periculis occurratur, statuimus, ut qua die quisque Fratrum itineris causa discesserit, & in qua item accesserit, ab eisdem Conventuum Superioribus in ea ipsa facultate discedendi causa fideliter notetur. Si secus fecerint, Praelati ab officio suspendantur per mensem; & subditi sicut apostatae plebantur. Quod ut exactius observetur, districte praecipitur Superioribus, ut in obedientiarum, & licentiarum exemplis id ipsum. Guardianis, ceterisque locorum Superioribus districte injungant, & terminum temporis praefixum secundum distantiam viarum, & dispositionem mittentium, & qualitatem euntium apponant.

Pro Germania Provinciae.

In Provinciae Germaniae Confessarii, & Commissarii Monialium, & Guardiani durent tantummodo ad triennium, & nullo pacto possint Provinciales, nec Commissarii Generales super hoc dispensare, cum sit mandatum apostolicum. Quod etiam servetur de Abbatibus Monialium.

Minister Provincialis Bohemiae habeat jurisdictionem in Moniales S. Clarae, quam regulariter habent Ministri aliarum Provinciae in suis.

Pro Polonia Provinciae.

Tollitur auctoritas Ministris Poloniae incorporandi Fratres unius illarum Provinciae in aliam, sub poena privationis mandantibus, & recipientibus. Capitulum Generale prohibet sub poena privationis officiorum, & actuum legitimorum Superioribus, & subditis Provinciae Poloniae, ne ullo unquam tempore tractent de reuendendis illis Provinciae.

De Bulgaria.

Guardiani ultra triennium durare non possint, cum Apostolicis Constitutionibus repugnet. Aliter facta electio nulla fit, & invalida.

§.2. Nos inviolabili Statutorum hujusmodi observationi, perpetuaeque firmitati, quantum Nobis ex alto conceditur opportune consulere, ipsumque Joannem Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat conferendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Joannis Ministri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta praeserta hujusmodi apostolica auctoritate, tenore praesentium, sine praedictio tamen observantiae regularis, & Statutorum apostolica auctoritate confirmatorum, ac Ordinationum, & Brevium Apostolicorum pro Fratribus Discalceatis Hispaniarum, & Indiarum factorum, & emanatorum, perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.3. Decernentes eadem Statuta in praedicto Ordine ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter perpetuo observari, & adimpleri debere, irritumque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 8. Novembris 1639. Pontificatus nostri Anno XVII.

Praeter ea, quae sub hac confirmatione apostolica in forma speciali, utpote majoris momenti facta continentur, aliam etiam a Capitulo Generali sancita sunt non minori observatione custodienda, cujusmodi sunt.

Pro Monialibus Hispaniarum.

Praecipit Capitulum Generale, ut Statuta nunc pro Monialibus edita, & approbata Typis mandentur, & inviolabiliter observentur.

Que hic confirmat. cum supplemento defectuum.

Et ab omnibus observari mandat.

Contrariis derogat.

Dat. die 8. Novem. 1639. An. XVII.

Pro

Pro India Orientali.

Praecipit Capitulum Generale, ut in India Orientali serventur Statuta Segobienfia pro iis partibus edita, nunc vero renovata, & approbata, in melioremque methodum cum aliquibus additamentis redacta, quae ad felicius earum Provinciae regimen, & tranquillitatem deserviant.

Pro Regestis.

Sit in utraque Familia Regestum, in quo notentur actus omnes capitulares, non solum ad futuram rei memoriam; sed ut religionis status cognoscatur, & ad regimini directionem inferriat.

Ad praesentis Decreti properam executionem jubetur, ut actus omnes Capitulares, Decreta, Bullae, Declarationes Sacrarum Congregationum, Decisiones Rotae, & Sententiae latae in causis nostrae Religionis specialiter Romae in Archivio reposita, quamprimum transcribantur, & transcriptum authenticum ad Ultramontanam Familiam remittatur, ubi etiam aliud fiet transcriptum earum rerum, quae ibi fuerint inventae ad Cismontanam Familiam pariter transmittendum.

Tria Apostolica Brevia pro feliciori nostri Ordinis regimine, nunc a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Octavo expedita, videlicet: Primum, in quo omnia privilegia personalia in nostro Ordine abrogantur. Secundum, in quo pro unaquaque Ultramontanae Familiae Provincia duo Provinciae Patres instituuntur. Tertium ad favorem Provinciae Indiarum expeditum, ad finem horum Statutorum excendantur.

Ut Statutorum varietas, & multiplicatio tollatur, ac in Sacris Ritibus, & administranda justitia, aequalis in omnibus Provinciae forma servetur; statuit Capitulum Generale, ut Statuta Cismontanae Familiae, per eisdem Patres revisa, reformentur, & ad normam Apostolicarum Constitutionum strictius reducantur; edantur Coereptionale, & Praxis Criminalis; quibus standum esse, Superioribus omnibus, & subditis respective praecipitur.

Numerus Defunctorum a postremo Capitulo Generali.

Numerus Fratrum, qui a praeterito Capitulo Generali, usque in praesens e vita decesserunt, juxta computationem factam per testimonia ad Capitulum delata, complet septem millia ducentos, & nonaginta tres, Gallis hinc exceptis, qui ad Capitulum non venerunt.

Ita est  
Cardinalis Barberinus Protector, & Praesidens.

- Fr. Jo. Merinero Minister Gen.
  - Fr. Didacus de Cea Comm. Gen. Curiae.
  - Fr. Joseph Vasquez Defin. Gen.
  - Fr. Bartholomaeus Foyas Defin. Gen.
- Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

- Fr. Lazarus Sanguessa Defin. Gen.
- Fr. Antonius Hiquicus Defin., & Secr. Defin. Gen.
- Fr. Benignus a Genua Comm. Gen.
- Fr. Joannes Baptista a Campanea Pater totius Ordinis.
- Fr. Joseph Redaellus Proc. Gen.
- Fr. Alcan. de Assisio Proc. Gen. Reformat. Cismontanae Familiae.
- Fr. Evangelista Mogminio Defin. Gen.
- Fr. Thomas a S. Agatha Defin. Gen.
- Fr. Petrus Posnanienfis Defin. Gen.
- Fr. Nicol. de Spinazzola Defin. Gen.
- Fr. Jo. a Neapoli Defin. Gen.
- Fr. Pacificus de Roma Defin. Gen.

Loco † Sigilli.

DCLIX.

Declarat illos, qui Collectorem Portugalliae molestarunt, non posse a quocumque etiam vigore Cruciate Sanctae absolvi a censuris, & interdicto.

Ex Regest. in Secret. Brevi.

Ven. Fratri Alexandrino Episc. Neocaestren. Jurium, & Spoliorum Camera Apost. debitorum in Portugallia, & Algarbionum Regnis debitorum Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Declaratio, ad qua in Rubrica.

§.1. **E** Manarunt aliis a Nobis Literae in simili forma Brevis tenoris sequentis videlicet: Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Quamvis juxta canonicas sanctiones. Reliqua invenies suo loco sub dat. 5. Julii 1638. Anno XV. Nunc autem ad abundantem cautelam, mentem, & intentionem nostras in praemissis manifestiores facere, & apertius innoscere volentes motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, illos, qui bona praedicta occupare, & usurpare ausi sunt, necnon Fratritatem Tuam molestantes, sive tibi molestiam, & persecutionem inferentes, aut qui antea Te molestarunt, & persecuti sunt, & pro tempore molestantur, seu persequuntur, vel bona hujusmodi occupantibus, & usurpantibus, aut Te molestantibus, vel persequentibus auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestiterunt, & praestabunt, cujuscumque qualitatis, status, gradus, & conditionis, praeminentiae, & dignitatis etiam ecclesiasticae, etiam speciali nota, & expressione dignae sint, vel fuerint, non posse a quocumque quavis auctoritate surgente, etiam Cruciate Sanctae, illiusque facultatum, & privilegiorum vigore absolvi, etiam in foro conscientiae tantum ab excommunicationis, aliisque sententiis, censuris, & poenis ecclesiasticis, quas propterea incur-

K k

currerunt, & incurrent, vel in quas incidisse per Te declarati fuerint, seu declarabuntur, quodque durantibus interdicto, seu interdictis per Fratritatem Tuam ubivis in quacumque mundi parte commorantem, & alias quomodolibet appositis, & apponendis, quicumque etiam regularis cujuscumque Ordinis, Societatis, Congregationis, & Instituti etiam speciali, & individua mentione, & expressione digni, & qui alias ex privilegiis apostolicis etiam in corpore juris clausis sub generali, & universali mentione regularium non veniunt, minime possint praxextu, ac etiam vigore ejusdem Cruciate Missas, etiam privatas, aliaque divina celebrare, seu celebrari facere, vel permittere, aut illis interesse, & intervenire, tenore presentium declaramus.

Clausula.

§.2. Decernentes presentes literas, & in eis contenta quacumque etiam ex eo, quod regulares, & alii prefati, ac quicumque alii in premissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes illis non conferant, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causaque propter quas illa emanarunt adducte, seu etiam nullatenus verificata fuerint, de subreptionis, aut obreptionis, vel cujuslibet nullitatis vitio, aut intentionis nostre, vel quocumque alio, quantumvis substantiali defectu, seu ex quacumque alia causa quantumvis justa, & legitima, vel capite etiam in corpore juris clauso, ac quocumque alio colore, seu praxextu notari, impugnari, impediri, redargui, limitari, rescindi, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperiitionis oris, vel quocumque aliud juris, facti, gratie, vel justitie remedium impetrari, aut etiam motu, scientia, & potestate similibus concessio quempiam in judicio, vel extra illud minime posse, sed easdem presentes cum omnibus, & singulis in eis contentis semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & ab omnibus, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in premissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, distaque Cruciate Sancte Commisariarum, seu Commisariarum, ac Sancte Romane Ecclesie Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, irritumque, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Conventuum delegatio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus editis, ac Cruciate predicta, illiusque facultatibus, & privilegiis, ac Literis Apostolicis desuper emanatis, & quatenus opus sit, regula nostra de jure quasito non tollendo, necnon omnibus illis, quae in preinsertis nostris Literis volumus non obstar. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, ac de verbo ad verbum expressio faciendae, seu quavis alia forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praxmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Piscatoris, die septima Septembris 1640. Pontificatus nostri Anno XVIII.

Datum die 7. Septembris 1640. An. XVIII.

DCLX.

Quacumque Privilegia nemini suffragari decernit, quominus Interdicto subiacet a Collectore Portugalliae publicato, seu publicando.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. Jurium, & Spoliorum Camera Nostra Apostolica debitorum in Portugallia, & Algarbiorum Regnis Collectori Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Dudum a Nobis emanarunt binae literae in simili forma Brevis fraternitati tuae directae, quarum prioris tenor sequentis, videlicet: a tergo Venerab. Fratri Alexandro Episcopo Neocastren. &c. intus vero Urbanus &c. Licet vigore tuarum facultatum &c. sub datum 2. Julii 1636. Posteriorum autem tenor est, qui sequitur videlicet: a tergo Venerabili Fratri Alexandro &c. intus vero Urbanus Papa VIII. Ven. Frater &c. Cum nuper, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus &c. Omissis tenor distiarum literarum quia eas reperies suo loco.

Referat Literas priores a se editas super negotio illarum Collectori molestiarum.

§.2. Nunc autem fraternitatem tuam amplioribus favoribus, etiam ad abundantiore cautelam munire, & illas Tibi haestenus concessas declarare volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus eidem fraternitati tuae, ut ad praesertarum literarum nostrarum executionem in toto, vel in parte, & prout tibi magis expedire videbitur, procedat, procedique faciat toties, quoties, opus fuerit, & alias, prout tibi placuerit, tam contra praedictos, & alios quoscumque, qui te ejecerunt, & molestarunt, quam omnes alios, qui etiam de presentibus, & pro tempore molestabunt, & persequuntur, eisque molestantiis auxilium, consilium, vel

Eidem fraternitati tuae dat derogandi quibuscumque privilegiis a S. Sede concessis.

vel favorem praestiterunt, vel praestabunt quomodolibet cujuscumque conditionis, status, gradus, dignitatis etiam Ecclesiasticae, etiam speciali mentione digni fuerint, & sint, etiam cum facultate derogandi quibuscumque privilegiis, & gratis apostolicis per nos, & Romanos Pontifices praedecessores nostros tam Regnis, Populis, Civitatibus, & locis, Ecclesiisque, Monasteriis, Universitatibus, Collegiis etiam ecclesiasticis eorumdem Regnorum, quam personis, etiam ecclesiasticis, etiam regularibus cujuscumque Ordinis, Societatis, & Instituti etiam speciali expressione digni, ac cujuscumque status, gradus conditionis, & dignitatis, etiam Ecclesiasticae quomodolibet concessis, & alias emanatis tenore presentium concedimus, & indulgemus.

Durante Interdicto neminem regularium divina operari posse etiam praxextu vigore cujuscumque Interdicti, declarat.

§.3. Necnon durantibus Interdictis per Fratritatem tuam haestenus appositis, & in posterum apponendis, quoscumque regulares etiam mendicantes cujuscumque Ordinis, Societatis, Congregationis, & Instituti etiam individua mentione, & expressione dignos, & qui alias ex privilegiis apostolicis, etiam in corpore juris clausis sub generali, & universali mentione regularium non veniunt, ac etiam, qui durantibus hujusmodi Interdictis infra scripta facere sibi licuisse, & licere pretendunt, ac praesertim Fratres Ordinis Praedicatorum in Regnis praefatis, illorumque Civitatibus, Oppidis, Castris, Terris, & locis quibuscumque habitantes, degentes, ac alias quomodocumque moram trahentes vigore quorumcumque apostolicorum privilegiorum, & Indultorum etiam ipsius, & eorum Ordini, ac etiam Sanctissimi Rosarii, & Nominis Dei, aliisque quibuscumque Confraternitatibus quomodolibet nuncupatis, & quavis auctoritate erectis, & institutis quoquo modo etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, & etiam per viam legis generalis, ac alias quocumque alio modo, causa, via, & jure concessorum, & quocumque emanatorum, ac etiam pluribus, & iteratis vicibus confirmatorum, & innovatorum, missas, etiam privatas, aliaque divina celebrari facere, vel permittere etiam in Claustris, Hospitalibus, Grangiis, & dependentibus, & aliis quibuscumque locis, eorumque monasteriis, & domibus regularibus quomodolibet annexis, ac Oratoriis, vel Eremitariis, ac alias quomodocumque nuncupatis nullatenus potuisse, nec in futurum posse declaramus, & quatenus opus foret, itaut nullus, nec etiam idem Regulares haestenus potuerint, nec in posterum possint altaria in eorum Monasteriorum, seu domorum regularium, & locorum claustris, vel alibi erigere, seu erigi facere, multoque minus in eis, nec in antea erectis celebrare, seu celebrari facere, aut permittere, Interdicto, seu Interdictis, sive generalibus, & universalibus, sive personalibus, & localibus, seu alterius cujuscumque generis.

Bull. Rom. Tom. VI. Fav. II.

neris, & speciei per eandem fraternitatem tuam positus haestenus, seu impostum quomodocumque etiam ex quacumque causa ponendis durantibus, ullo modo, seu praxextu valeant, earumdem tenore presentium districte inhibemus, & inhibendum antea fuisse denunciamus.

Etque declarant di eadem Collectori potestate tribuit.

§.4. Tibique similem prohibitionem, & declarationem faciendi, & promulgandi sub censuris, & poenis tibi benevisis plenam, & amplam facultatem impertimur, eandemque facultatem derogandi, & derogationem, & prohibitionem sub eisdem censuris faciendi antea tibi competisse declaramus.

Et ad hunc effectum ipse Pontifex quacumque tollit privilegia.

§.5. Nos enim omnibus, & quibuscumque praefatorum Regularium, & Confraternitatum privilegiis, & indultis etiam in corpore juris clausis etiam in Monasteriorum, & Domorum eorumdem Regularium foundationibus, erectionibus, &otationibus, ac praefatis, & quibuscumque aliis Regnis, Civitatibus, Oppidis, Castris, Terris, & Locis etiam ex quacumque causa, quantumvis favorabili, & onerosa, etiam contemplatione, ac ad supplicationem Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque concessis, confirmatis, & innovatis, & quomodolibet emanatis, quoad praefatam celebrationem Missarum, & divinorum interdicto, seu interdictis praefatis durantibus, illorum omnium, & singulorum tenores, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes plenissime derogamus, necnon fraternitati tuae eandem derogationem faciendi, & in eius decretis, & edictis apponendi, seu addendi ad abundantiore cautelam, facultatem tribuimus.

Clausula.

§.6. Decernentes presentes Literas, & in eis contenta quacumque etiam ex eo, quod Regulares, & alii prefati, ac quicumque alii in premissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes illis non conferant, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causaque propter quas illa emanarunt adducte, seu etiam nullatenus justificata fuerint, de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis cujuslibet vitio, aut intentionis nostre, vel quocumque alio, quantumvis substantiali defectu, seu ex quacumque alia causa, colore, seu praxextu, etiam enormis, & enormissimae laesionis notari, impugnari, impediri, redargui, limitari, rescindi, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperiitionis oris, vel quocumque aliud juris, facti, gratie, vel justitie remedium impetrari, aut etiam motu, scientia, & potestate similibus concessio quempiam in judicio, vel extra illud uti minime posse, sed easdem presentes, cum omnibus, & singulis in eis contentis semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & ab omnibus, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque, &

K k e non